

diminuto numero eorum, quibus alimenta ab iisdem Monasteriis prestari solebant, prohibita novorum aedificiorum constructione, victu ad maiorem frugalitatem restricto, moderatis etiam Superiorum provisionibus, ac denique rescillis ceteris omnibus expensis, nec tamen his omnibus, aliisque non inutilibus remediis adhibitis, optatum effectum habuit eorum industria; idque (ut quidem Prælati senioribus experientioribusque videretur) ex eo, quod eorundem Monasteriorum damnus, & impossibilitas illa prosperiorem in statum reducendi, ex brevitate guberniorum, seu administrationum triennialium derivat, docente experientia triennium rebus bene constabiliendis non sufficere; Nam Prælati primo quidem triennii huiusmodi an., ob graves expensas, & contributiones, quæ occasione Capitulorum Gen., itinerum, mutationis familiarum, aliarumque necessariorum provisionum fiunt, Monasteria pecuniis, aliisque assignationibus exhausta reperunt, ac ut plurimum æs alienum contrahere coguntur, vixque tantum agere possunt, ut illa, quæ ad gubernium spectant, in aliquem convenientem statum reddant, secundo vero an. æri alieno quod primo an. contraxerunt, dissolvendo vix sunt pares, tertio autem rebus Monaster. componendis dant operam, ne illas implicatas relinquunt, ac novas provisiones facere debent pro expensis, & contributionibus imminentis Capituli generalis: Unde Monasteriorum levamento, & utilitatibus incumbere nequeunt, quippe qui tempore, pecuniisque ad id necessariis destituantur. Atque ita progreditur guberniorum successio, non sine ingenti præfatorum Monasteriorum detrimento.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, si Capitula Gen. Congreg. præfata de quinquennio in quinquennium celebrarentur, prout observatur in Cong. Cassinen. cuius institutis d. Congreg. Camaldulen. in ceteris se conformat, majores expensæ; Nempe Capitulorum Generalium huiusmodi, itinerum, ac mutationis Prælatorum, & Familiarum rarius fierent; Prælati vero majorem interea administrationum suarum peritiam adipiscerentur, & eorum auctoritas, & existimatio apud personas quibus cum est contrahendū cresceret, ipsique etiam spe videndi industria suæ fructum allesti, in culturam bonorum, unde redditus Monasteriorum præcipue dependent, sedulius, & vigilantius incumbere: Cumque dilecti filii moderni Congreg. præfata Camaldulen. Prælati aliqua munerum suorum prorogatione pro extinguendo ære alieno prosequendoque his calamitosi temporibus gubernio indigeant, ne in deteriora labantur res ejusdem Congreg., in qua (benedicente Domino) pax, & concordia nunc viget, itaut ex dilatione proxime futuri Capituli Gen. ipsa Congreg. nullum videatur detrimentum, sed maximum acceptura sublevamen. Nobis propterea dd. Exponentes, ad quos

(ut asserunt) cura regiminis ejusdem Congreg. spectat humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratis profectui volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationibus & c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati, attentis narratis, celebrationem Capitulorum Gen. d. Congreg. Camaldulen. de cætero faciendam esse de quinquennio in quinquennium, itaut proxime futurum ejusdem Congregationis Capitulum, Gen. demum finito jam cepto quinquennio habere debeat, auctoritate apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus: ea tamen lege, ut una dicta inter quælibet duo Cap. Gen. saltem tertio quælibet intercurrentis quinquennii huiusmodi anno celebretur.

§.3. Decernentes easdem præsentibus litteras semper firmas &c. sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos &c. definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

§.4. Non obstant. præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit prædictæ Congregationis Camaldulen. ejusque Monasteriorum quorumcumque, & aliis quibusvis &c. quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die 22. Martii 1660. Pontificatus nostri Anno V.

CCXC.

Confirmat conventiones super jure Patron. Ducis Medinæ Sydoniæ in tres Conventus FF. Congreg. Hispaniæ Ord. B. Mariæ de Mercede Provinciæ Andalusæ, & in totam Congreg.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius de Christo Proc. Gen. Congreg. Hispaniæ Ord. FF. B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Discalc. nuncupat., quod cum dilectus filius Nobilis Vir Dux Medinæ Sydoniæ favorabilem semper, ac beneficium se præstiterit Recollectioni d. Congr., eidemque tres Conventus in Provincia Andalusæ proprio ære, ac magnis sumptibus fundaverit, necnon publico, & solemnè Instrumento alias sub anno 1621. se, suosque Hæredes, & Successores bona in perpetuum obligaverit singulis Capit. gen. ipsius Congr. per sexennia celebrandis scuta sexcen. pro expensis uniuscujusque Cap. sustinendis eid. Congr. titulo elemosynæ contribuere, & donare prout

Confirmat decretum.

Clausulas appoint.

Derogat obstantibus.

Dat. die 22. Mar. 1660. An. V.

Supplicatio.

prout & trecen. singulis triennis pro expensis Cap. Provinc. Provinciæ Andalusæ itidem eod. modo contribuere, & largiri, propterea d. Congr. gratitudinis nomine eid. Duci, ejusque in Ducatu pro tempore Success. universalis patroni titulum, ad infra scriptos effectus, & prærogativas dumtaxat, & non alias indultit, necnon jus patronatus honorificum cum prærogativis, & præeminentiis de jure Fundatoribus Reg. Monasteriorum debitis super prædd. tres Conventus ab ipso, ut supra in Provincia Andalusæ fundatos concessit, seu concedi cupit cum indultis, & conventionibus contentis in Capitulis, tenoris, qui sequitur, videlicet.

§.1. Et primo præsupposita contributione præarrata, eid., & Success. facultatem concedit nominandi, seu assignandi locum, & Monasterium, in quo Capit. Gen. pro tempore celebrari debeat: Ita tamen ut nominatio, seu assignatio præd. debeat fieri in anteced. Capit. pro subsequenti, & quatenus assignatus locus Recollectioni aliquam ob causam non placeret, liberum illi sit alibi ad suum libitum propriis expensis celebrare.

§.2. Et Religiosi omnes, qui ex universa recollectione in ipso Capit. gen. aderunt, per id temporis, quo idem Cap. perduraverit quotidie (si præarrata elemosyna scutorum sexcent. a D. Duce contributa, ut supra fuerit) Missam offerre teneantur pro Animabus Defunctorum Antecess. D. Ducis pro tempore viventis.

§.3. Necnon semel in unoquoque Capit. gen. Missa cantata solemniter cum vigilia, pro antedd. Defunctis celebretur, descendentibus Religiosis omnibus interessentibus Capitulo in medium Ecclesiæ, ad canendum responsorium prope tumulum funebri apparatu erectum: Ita tamen ut per huiusmodi celebrationes Missarum lectarum, & cantate, nullatenus impediatur satisfactio onerum, seu Missarum, quæ tunc, vel ex anterioribus quibuscumque obligationibus celebrandæ sint.

§.4. De fructibus operum omnium actus Communitatis nuncupat., quæ in unoquoque Cap. gen. fiunt, d. D. Dux, ejusque Success., ut supra participes reddantur.

§.5. In singulis Cap. gen. præcipietur, ut intra tempus ab uno Cap. gen. ad aliud intercedens, in unoquoque Monasterio totius Recollectionis Missa cantata, & a singulis Sacerdotibus una Missa lecta pro Patronis vivis, atque defunctis celebrentur.

§.6. Morientibus autem Duce, vel Ducissa pro tempore in quolibet Monasterio universæ Recollectionis Missa cantata cum officio Defunctorum recitetur, & singuli Sacerdotes Missam unam pro anima Ducis respective, vel Ducissæ defunctæ celebrare teneantur.

§.7. Morientibus vero hodiernis DD. Duce, & Ducissa, in suffragium animarum suarum participes reddantur bonorum operum totius Recollectionis.

§.8. Prout & dd. hodierni Dux, & Du-

Conventiones observandæ.

cissa, sicut etiam, & eorum Success. in Ducatu participes fiant spiritual. fructus, quem Religiosi totius Recollectionis orando, jejunando, aliisque pia opera, tam communia, quam particularia exercendo, ac præsertim Captiv. redimendo apud Deum lucrantur.

§.9. Itidem supposita præarrata contributione scut. trec. per D. Ducem, & Success. in Ducatu, ut supra faciendæ, eid. conceditur facultas nominandi, vel deputandi locum, seu Monasterium, ubi singulis triennis celebrari debeat Cap. Prov. Provinciæ Andalusæ; ita tamen ut nominatio ipsa fiat in anteced. Cap. pro subsequenti, & si locus nominatus aliquam ob causam Cap. minus placeat, liceat alibi propriis expensis celebrare, ut de Cap. gen. supra dictum est.

§.10. Religiosi omnes Sacerdotes, qui in Cap. Prov. Provinciæ Andalusæ intervenient quotidie durante d. Cap. Missam celebrare teneantur pro Ducibus Patronis vivis, atque defunctis. Insuper ibi una Missa solemniter pro defunctis Patronis canetur, descendentibus Religiosis omnibus interessentibus Cap. ad medium Ecclesiæ, ad canendum responsorium prope tumulum funebri apparatu erectum. Ita tamen ut per huiusmodi celebrationes missarum, lectarum, & cantate, ut supra, non impediatur satisfactio onerum, & missarum ex Instituto Recollectionis, seu ex anterioribus obligationibus celebrandarum.

§.11. Et Patroni pro tempore participes reddantur fructus omnium operum, seu actuum Communitatis, quæ in singulis prædict. Cap. Provinc. Andalusæ fiunt.

§.12. In quibus Cap. Prov. Andalusæ, & in unoquoque eorum præcipiatur, quod quilibet Sacerdos ipsius Provinciæ intra tempus ab uno Cap. ad aliud intercedens in unoquoque Monast. ejus Provin. Missa cantata, & a singulis Sacerdotibus Missa una lecta pro Patronis vivis, atque defunctis celebrentur.

§.13. Sacerdotes Religiosi inservientes respective in Cap. Gen., & Prov. Andalusæ, ac proinde obligati ad celebrationem Missarum, ut supra, si durantibus dd. Cap. antedd. obligationibus non satisfecerint, teneantur ante celebrationem novi Cap. gen. aut Provin. respective satisfacere. Ita tamen ut nullatenus impediatur satisfactio aliorum ex Instituto Recollectionis debitorum, vel ex anterioribus obligationibus, ut supra dictum fuit.

§.14. In præfato Monasterio S. Lucar singulis feriis sextis, & Sabbathis in perpetuum per omnes horas diei, ac noctis debeat ab aliquo Fratre alterna vice fieri oratio ad Deum pro animabus Fundatorum, ipsorumque Majorum, & Consanguineorum.

§.15. Postquam facta fuerit electio Commendatorum pro tempore trium Conventuum a dd. Patronis, ut supra, Fundatorum debeat significari D. Duci, & Patrono pro tempore, ad effectum ut si voluerit, suum honestum impartiatur assensum, juxta dispositionem Sac. Canonum.

XVI. Valeat Patronus pro tempore sibi assu-

assumere unum Religiosum ex d. Provincia Andalusie in Confessarium, cum facultate ipsum secum, etiam extra Provinciam abducendi: Ita tamen ut ad predicta Superioris Regularis consensus accedat, qui si commode, & absque regularis disciplinae detrimento fieri possit, illum prestabit. Præd. Confessarius in locis in quibus Recollectionis Conventus extiterit, in ipso, non autem extra Claustra commoretur.

XVII. Quatenus Patronus Dux pro tempore velit in locis sibi subjectis novum Monasterium FF., aut Monialium Ord. Recollectionis fundare, ex tunc censeatur habitus, & prestitus consensus quantum ad Recollectionem spectat: Ita tamen ut in reliquis serventur Constitutiones Bonif. VIII. Clementis VIII., atque Urbani VIII. Summorum Pontificum, aliaque prout de jure circa Fundat. novorum Conv. requiruntur.

§.2. Cum autem sicut ead. Expositio subjungebat, premissa in Divini cultus augmentum, dictæque Congreg. progressum sint cessura: Nobis propterea d. Antonius humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apost. dignaremur. Nos igitur eum d. Antonium specialibus favoribus, & gratiis &c.

Confirmat decretum.

§.3. Hujusmodi supplicationibus inclinati de Ven. FF. nostrorum S. R. E. Card. Conc. Triid. Interpretum consilio præd. omnia Indulta, & respective conventiones modo supra scripto correctas, & reformatas auctoritate Apost. tenore præsentium concedimus, & respective approbamus, salva semper in præmissis auct. Congr. Card.

Claufula.

§.4. Decernentes &c. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos &c. ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§.5. Non obstantibus Constitutionib. &c. necnon quatenus opus sit, Congregat., & Provincie Andalusie hujusmodi, earumque Conven. quorumvis etiam juramento, confirmatione Apost., vel quavis firmitate alia roboratis statutis &c. Quibus omnibus, & singulis &c. ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 9. Apr. 1660. An. V.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc., die 9. Aprilis 1660. Pontificatus nostri anno V.

CCXCI.

Ex Regest. in Secret. Brevis.

Prorogatio concessionis fructuum unius mensis Eccl., & Beneficiorum Hispaniarum, & Sardinie pro Rege Catholico.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

ALEXANDER PAPA VII. Charissime in Christo fili noster salutem, & apostolicam benedictionem.

Executum.

Orthodoxæ fidei conservandæ, & propagandæ zelus, ac singularis erga

hanc Sanctam Sedem devotio, aliaque Catholici nomine optimo jure insigniti Regis præclara merita, quæ in Majestate tua cœlesti gratia resurgent, plane exigunt, ut illi reddamur ad gratiam liberales.

§.1. Alias siquidem per fel. rec. Urb. PP. VIII. Prædecess. nostrum considerato, quod tu clara mem. Philippi II., & Philippi III. Hispaniar. Regum Catholicorum, Avi, & Genitoris, aliorumque Majorum tuorum exemplo Christianæ Reipublicæ utilitati inservire, & non solum Catholicæ fidei defensionem, sed illius etiam prorogationi totis viribus incumbere desiderans, adeo ingentia expensarum onera subieras, ut non solum Regnorum tuorum ordinarios redditus, verum etiam omnia illorum æraria fere exhausteras, idem Prædecessor ad egregia utriusque Philippi Regis, Avi, & Genitoris, aliorumque Majorum tuorum, tuæque propria merita hujusmodi paternæ dirigens considerationis intuitum, laudabiles, & Deo maxime gratos conatus tuos adjuvandos ducens, tibi omnes, & singulos fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta, in quibus etiam pensiones annuas quantumvis liberales, immunes, & exemptas, quas de cætero super illis apostolica auctoritate reservari contingeret, comprehendere voluit, unius integri mensis a die possessionis per infra scriptos Portionarios, necnon provisos, præfectos, seu institutos de Ecclesiis, seu aliis Beneficiis infra expressis habitæ, seu quæ per eos steteret quominus possessionem hujusmodi adipiscerentur, computandi proportionabiliter ad ratam anni, & valoris deductis oneribus, quarumcumque Primatialium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, Parochialium, & aliarum Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, mensarumque Abbatialium, Prioratuum quoque, Præpositurarum, Præpositaturarum, Præceptoriarum, dignitatum etiam majorum, & principalium, Canonicatum, Præbendarum, personatum, administrationum, officiorum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium (non tamen quoad curata eorum, quorum centum, quo vero ad simplicia, quorum fructus, redditus, & proventus valorem annum viginti quatuor ducatorum auri de Camera non excederent) necnon S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacen., Cisterciens. Præmonstraten., ac quorumcumque aliorum Ordinum Regularium, ac Militiarum, præterquam S. Joannis Hierosolymitani, cæterorumque locorum etiam exemptorum in Regnis Hispaniarum, & Insularum illis adjacentium, ac Sardinie, & de tuo Jurepatronatus, sive ad nominationem tibi legitime competentem disponi solitorum tantum existentium, de quibus quovis modo, etiam per translationem vacaturis quascumque personas quavis etiam Cardinalatus dignitate fulgentes ad præsentationem, seu nominationem tuam præfici, vel provideri, sive illas in eis quomodolibet institui, seu quibus pen-

pensiones ipsas reservari contingeret, ut præfertur, per personas in dignitate ecclesiastica constitutas a tunc, & pro tempore existente suo, & Sedis Apostolicæ in Regnis prædictis Nuncio ad hoc specialiter deputandas a quibuscumque Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Præceptoribus, Canonicis, Præbendis, Rectoribus, & personis Secularibus, & Regularibus etiam militiarum hujusmodi, necnon Pensionariis prædictis cujuscumque dignitatis, etiam Cardinalatus, & conditionis forent, percipienda, exigenda, & levanda, tibi integre persolvenda ad 15. annos tunc proximos concessit, & assignavit: Et subinde voluit, ac in virtute sanctæ obedientiæ præcepit, & mandavit, ut personæ ad Ecclesias seu alia Beneficia supra expressa per te pro tempore præsentandæ, seu nominandæ in illarum præsentationis, seu nominationis expeditione de solvendo infra 4. menses a die adeptæ per eos Ecclesiarum, seu aliorum Beneficiorum hujusmodi possessionis computandos omnes, & singulos fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta unius integri mensis Ecclesiarum, seu aliorum Beneficiorum hujusmodi ad ratam illarum, & illorum valoris, ad quem fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta hujusmodi quinque annis tunc proxime decursis annuatim ascendissent, computatis, ad omnem tuum, seu Ministrorum tuorum mandatum per cedulam bancariam, seu alias idonee caverent, & cavere tenerentur. Et postmodum rec. mem. Innoc. PP. X. Prædecess. pariter nostro pro parte ejusdem Majestatis tuæ exposito, quod 15. anni ad quos concessio, & assignatio hujusmodi tibi facta fuerat adhuc durarent, a personis ad Ecclesias, seu alia Beneficia præfata per te interim præsentatis, seu nominatis cedulas bancarias, seu alias idoneas cautiones de solvendo omnes, & singulos fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta unius integri mensis Ecclesiarum, seu Beneficiorum hujusmodi ad rationem præfatam, & alias juxta formam literarum memorati Urb. Prædecess. super præmissis emanatarum exegeras, seu exigifeceras; Et propterea facultatem exigendi promissa per cedulas, & cautiones hujusmodi tibi per eundem Innocentium Prædecess. tribui, necnon ob prædictas, & longe urgentiores causas ab inde citra ortas concessionem, & assignationem præfatam, ac reliqua omnia in præfatis literis Majestati tuæ concessa, ad aliud ipsi Innocentio Prædecessori benevisum tempus extendi, & prorogari summo opere desiderabas: Idem Innocentius Prædecessor tibi, ut omnia, & singula in cedulis, seu cautionibus per personas ad Ecclesias, seu Beneficia supra expressa per te præsen-

tatas, seu nominatas, ut præfertur, datis, & factis ab eo tempore, quo præfati quindecim anni expiraverant, usque in illum diem ratione concessionis, & assignationis hujusmodi promissa, ab eisdem personis exigere, seu exigi facere libere, & licite posses, & valeres apostolica auctoritate licentiam concessit, ac ex tunc prout postquam promissa hujusmodi exegisses, illa tibi totaliter condonavit. Ac insuper assignationem, & concessionem prædictas iisdem modo, & forma, quibus præfatus Urbanus Prædecess. illas Majestati tuæ fecerat, & concesserat, ac juxta prædictarum ejusdem Urbani Prædecess. literarum seriem, continentiam, & tenorem Majestati tuæ ad decennium tunc proximum tantum prorogavit, & extendit, seu de novo concessit, & alias prout in diversis eorumdem Urb., & Innoc. Prædecess. lit. in simili forma Brevis, novissimis quidem ipsius Innoc. Præd. die 22. Octob. 1644. desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberius continetur.

Motiva sequuntur.

§.2. Cum autem sicut Nobis nuper pro parte ejusdem Majestatis tuæ expositum fuit, decennium præd. jam dudum expiraverit, tuque nihilominus post lapsum ejusdem decennii, causis, ob quas concessio, & assignatio, ac prorogatio hujusmodi tibi facta fuerat adhuc durantibus, a personis ad Ecclesias, seu alia Beneficia præscripta per te interim præsentatis seu nominatis, cedulas bancarias, seu alias idoneas cautiones de solvendo omnes, & singulos fructus redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta, unius integri mensis Ecclesiarum, seu Beneficiorum hujusmodi ad rationem præfatam, & alios juxta formam dd. literarum exegeris, seu exigifeceras; Et propterea facultatem exigendi promissa per cedulas, & cautiones hujusmodi a personis præfatis per Nos tibi pariter tribui, necnon ob præfatas, & longe urgentiores causas ab inde citra ortas concessionem, & assignationem præd., ac reliqua omnia in prædictis literis Majestati tuæ concessa ad aliud Nobis benevisum tempus extendi, & prorogari plurimum desideres: Nos præclarorum meritorum tuorum præfatorum intuitu, Majestatem tuam specialis favore gratiæ prosequi volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine tibi omnia, & singula in cedulis, seu cautionibus per personas ad Ecclesias, seu Beneficia supra expressa per te præsentatas, seu nominatas, ut præfertur, datis, & factis ob eo tempore, quo præfatum decennium expiravit in præsentem usque diem ratione concessionis, & assignationis, sicut præmittitur prorogata promissa, ab eisdem personis exigere, seu exigi facere, libere, & licite posses, & valeas tenore præsentium licentiam concedimus, ac ex nunc prout postquam promissa hujusmodi vigore præsentium exegeris, illa tibi totaliter condonamus.

Præ-

§.3. Præterea assignationem, & concessionem prædictas iisdem modo, & forma, quibus prædicti Urb. & Innoc. Præd. illas Majestati tuæ respective fecerunt, concesserunt, & prorogaverunt, ac juxta præfatarum eorundem Prædecessorum literarum seriem, continentiam, & tenorem, eidem Majestati tuæ ad quinquennium proximum tantum auctoritate apostolica tenore præsentium prorogamus, & extendimus, seu de novo concedimus.

§.4. Decernentes, durante quinquennio per præsentem prorogato, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & denique universum Clerum secularem, & regularem prædictum, & quoscumque, quibus super fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis prædictis, pensiones annuas apostolica auctoritate versari contigerit, in præfata solutione pro rata pensionum, ac mensis hujusmodi parte concurrere debere, & obligatos esse, eosque solutionem, sive præstationem hujusmodi etiam occasione præteritarum contributionum, impositionum, seu onerum, vel damnorum pastorum, aut etiam enormis, enormissimæ læsionis, vel quocumque alio prætextu in toto, vel in parte minime effugere, seu disserre, dictosque Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, universumque Clerum secularem, & regularem hujusmodi portionem, & ratam partem pensionarios pro tempore tangentem ad effectum solutionis prædictæ detrahere, & retinere respective posse, sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apost. Auditores, ac S. R. E. Card. etiam de latere Legatos, & Nuncios quavis auctoritate fungentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Confirmat decretum.

§.5. Quocirca dilecto filio moderno, & pro tempore existenti nostro, & apost. S. in Regnis prædictis Nuncio per præsentem committimus, & mandamus, quatenus per se, seu alium, vel alios, ut præfertur, deputandos, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte tua fuerit requisitus præsentem literas, & in eis contenta quecumque solemniter publicans, faciat auctoritate nostra tibi fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta prædicta a Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ac denique universo Clero seculari, & regulari, militiarum, & locorum Ecclesiasticorum præd. etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in spe-

cie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum inserta, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda esset illorum omnium tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanfuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Volumus autem, quod pecuniæ, quas ex præfata concessione percipies, in alios usus quam Catholicæ Religionis defensionis, & propagationis, necnon obedientiæ erga Romanam Ecclesiam conversationis pro quibus dumtaxat concessio ipsa fit, nullatenus convertantur, super quo Majestati tuæ, ac Ministrorum tuorum, conscientiam oneramus: Quodque præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Præsentibus ad prædictum quinquennium tantum valituris. Per easdem autem præsentem iuribus Cam. Apo. quoad fructus vacantes nullatenus præjudicare, sed ea iusta, & illibata præservare intendimus.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Aprilis 1660. Pontificatus nostri Anno V.

Ufus pecuniarum præd. & Transumptorum fides.

Dat. die 12. Apr. 1660. An. V.

CCXCII.

Confirmatio Decreti super Economico statu & recta bonorum temporalium administratione Cassinensium, Ord. S. Benedicti.

Ex Regest. in Secret. Brvo.

ALEXANDER PAPA VII. Ad perpetuam rei memoriam.

Manavit nuper a Congregat. Ven. FF. nostrorum S. R. E. Card. super Economico statu, & recta bonorum temporalium administratione Cassinensium. Ord. S. Benedicti instauranda, a Nobis specialiter deputata Decr. tenoris, qui sequitur, videlicet.

Exordium.

§.1. Communis egestas Monasterii privatam habendi cupiditatem non raro excitare solet in Monachis, utpote qui religiosi, ac necessariis indigentis ex publico penu consuli non posse intelligentes, licere sibi certo persuadent, adversus hujusmodi necessitates subsidium, atque levamen ex proprio privato peculio quaerere; cuius parandi, atque augendi gratia non parva Monastica tranquillitatis iactura secularibus sollicitudinibus implicatur: Et pauperes Monasterii tandem non pauperes Monachi præpostero studio circa terrena fatigantibus, æterna despiciunt; ideo spiritali Monasteriorum bono expedire videtur, ut eorum nec temporalia bona recta administratione

Motiva.

ratione provide conserventur. Quod cum in Monasteriis quoque Congr. Cassinensium exoptandum sit, cuius egregia Sanctimonia piorum Christi fidelium liberalitatem olim adiegit, ut non exiguis bonis, in præfens tamen ob temporum angustias valde imminutis ead. Monasteria ad Divini cultus dignitatem, necnon ad Monasticæ discipline incrementum exornarent: Propterea Sac. Congr. EE., & RR. DD. S. R. E. Card., quos ad Oeconomicum statum, & rectam bonorum temporalium administrationem in anted. Monasteriis instaurandam SS. D. N. Alex. PP. VII. specialiter deputavit, Patre Proc. Gen. ejusd. Congr. Cassinensium pluries audito, die 21. Martii 1661. infrascripta in præd. Monasteriis Cassinensium observanda Sanctitatis jussu decrevit.

Observanda recenseantur.

Cum Gen. Cap. convocatio non absque notabili Monasteriorum dispendio quotannis fiat, hanc quoque ob causam in posterum per decennium proximum non nisi alteris annis Cap. ipsum celebretur, non obstantibus Constit. Congr. Cassinensium. Apost. etiam auctoritate confirmatis, vel privilegiis itidem Apost. eid. concessis, quibus quoad hoc Sanct. Sux auctoritate derogat: Et tunc quidem sumptus ultra modum fieri soliti regulari frugalitate minuantur: Cubicula confluentium Abbatum hospitio designata non nisi religiosa suppellectile instructa sint, adeo ut ab ipsis sumptuosi apparatus nuper inductus abusus omnino eliminetur: Alias Abbas & Cellerarius Monasterii, ubi Cap. celebratur, suspensioni ab exercitio suorum Offic. subjacere intelligantur, neque in posterum (prout hucusque factum est) Monasterio, ubi Cap. Gen. celebratur, dona ulla fiant, sed subductis rationibus expensarum in ipso Cap. singulis Abbatibus, qui interfuerint, rata pars pecuniæ solvendæ, habita tamen ratione conditionis personarum, præscribatur.

In Cap. proxime celebrando nova taxa pro contributione a singulis Monast. Procuratoriæ Gen. solvenda fiat, servata proportione reddituum eorumd. Monast. prævia exacta status uniuscujusque Monast. disquisitione firmanda: Ac si quando Monast. aliquod vera superveniente impotentia ratam partem suam d. Procuratoriæ solvere nequeat, nullatenus super ejus bona census imponantur, aut alia quacumque ratione ob hanc causam æs alienum ab eo contrahatur; alias contractus ipse adversus hanc prohibitionem initus nullus esse intelligatur, & sit: Et Superior contrahens pœnis in Decr. de reb. reg. non alien. per S. Congr. Conc. sub die 7. Sept. 1624. edito. aliisque ad ejusd. arbitrium teneatur; sed in Dicta Pater Præsidentis Gen., cognita vera impossibilitate ejus Monast., onus ad ipsum spectans in unum, vel plura alia Monast. juxta eorum vires cum voto PP. Visitationum in parte, vel in totum, & pro una, vel pluribus vicibus, prout duxerit necessarium, transferat, ita tamen, ut Monasterio, vel Monasteriis pro eo solventibus jus recuperandi solutam pecuniam adversus illud re-

Bull. Rom. Tom. VI. Par. V.

servetur. Cæterum si Abbatis, aut Cellerarii culpa Monasterium anted. solutioni impotens factum fuisse comperiat (cujus rei sedula per PP. Præsidentem, ac Visitatores fiat indagatio) in illos pro merito animadvertatur.

Si forte Mon. aliquod inopinata urgente causa, supra proprios redditus sumptus facere, & consequenter æs alienum contrahere cogatur in libris Magistris ejusd. Mon. anted. urgens causa dilucide annotetur, & explicetur, deque ea PP. Visitatores in actu Visitationis, & PP. Definitorum in Cap. generatim reddantur, qui sedulo curabunt, ut intra sequentem an. contractum debitum dissolvatur, ejusque solutionis rationem, ac modum (si ab ipsis reperiri, aut expediri non valeat) ad S. Congr. deferant.

Abbatibus Monast., quæ ære alieno obligata sunt, & quibus proinde onus incumbit certis statutis temporibus ratas debiti partes successive persolvendi, aut deponendi, nullatenus liceat redditus Monasterii, præterquam in usus mere necessarios erogare, nisi soluta prius, deposita respective debita parte pecuniæ; & præsertim prohibitum illis omnino sit quodcumque fabricæ genus nisi præcisè, ac absoluta urgente necessitate per Regimen sedulo examinanda, & probanda. Quod si adversus præd. commiserint, & Fabricæ dispendium scuta quinquaginta excedat, anted. Abbatibus minime suffragetur indultum, quod S. Congr. rationabiles ob causas concedere aliquando solet petentibus dilationem ad solvendam, seu deponendam ratam pro tempore debitam, & per consequens pœnis obstricti censeantur, quæ in licentia contrahendi d. æs alienum præscriptæ fuerunt, in casu quo debita rata deposita, aut soluta non fuerit, aliisque ad arbitrium, &c.

Sed & cæteris omnibus, & singulis Superioribus prohibitum sit, pecunias etiam extraordinario titulo Mon. acquiras fabricando (præterquam reparationis omnino necessariæ causa) expendere, sub pœna suspensionis ab officio ipso facto incurrendæ, aliaque majori pro rei qualitate, ac circumstantiis juxta S. Congr. arbitrium.

A quinquenniorum solutione nullum, omnino Monasterium eximatur, quamvis fortasse usque ad hanc diem aliquam ob causam ab ipsis solventibus fuerit exemptum: Et ad hujusmodi solutiones faciendas minime census imponantur, aut alio modo æs alienum contrahatur; sed quotannis ex redditibus uniuscujusque Mon. rata pars currentis Quinquennii in S. Monte Pietatis de Urbe deponatur, cum expressa mentione, ut d. pecunia in alios usus impendi nequaquam possit. Abbates vero, Cellerarii in aliquo ex præd. deficientes, privationis vocis activæ, & passivæ subiaceant.

Et ne antedictæ pecuniæ deposita diu otiose permaneant, ex ipsis loca Montium Cameralium nomine, & ad favorem pro rata respective Monasteriorum deponendum consulta S. Congr. emi poterunt, quæ quidem loca maturis successive terminis solu-

solutionum vendantur ad effectum ipsa-
Quindennia solvendi.

Atque, ut Monasteria solutionibus hu-
jusmodi prompte valeant respondere, quo-
ries hereditario, vel alio quocumque ex-
traordinario titulo quicquam pecunie ipsi
obvenerit, id (nisi usque ad summam scut.
quingenta dumtaxat) sine expressa li-
centia regiminis nequeat expendi, præter-
quam si in extinctionem alicujus debiti le-
gitime contracti convertatur. Prout etiam,
si qui redditus fecundioribus forte annis
uberius collecti ordinariis Monasterii ex-
pensis superfluerint, absque præcisa neces-
sitate non expendantur: sed in subsidium
aliorum subsequendum annorum, quibus
fortasse minores proventus contingant,
provide reserventur, cujus quidem reser-
vationis disquisitio a P. Visitatoribus spe-
cialiter fiat; itaut Abbates, & Cellerarii,
qui compendium hujusmodi neglecte
comperti fuerint, ab officiis suis ad bene-
placitum S. Congr. suspendantur.

Quod intelligendum etiam est de iis Ab-
batibus qui in suo ingressu ad alicujus Mo-
nasterii Regimen notabilem summam reli-
quorum, nempe pecunie, aut aliarum
rerum invenerint: quinimo horum reli-
quorum expressa mentio, atque distincta
descriptio fiat in principio libri, quo ratio-
nes dati, & accepti describuntur.

Sequuntur
motiva hujus
Constitut.

In singulis Monasteriis ultra principales
codices exitus, & introitus, habeantur etiam
particulares libri in quibus ne dum descri-
pti sint redditus, & expensæ uniuscujusque
Grancie, seu Massaria, necnon Index de-
bitorum, & creditorum ad eandem spectan-
tium, sed insuper in primis d. Libri paginis
accurata descriptio fiat uniuscujusque; Gran-
cie, seu Massaria, exprimendo fines, quan-
titate, & qualitate terrarum, & quæ
sint Sativæ, Sylvosæ, Vineatæ &c.

Itidem ædificia quæcumque, addito etiã
Indice quorumcumque mobilium, & In-
strumentorum rusticorum cujusvis generis
intra ipsa existentium, exprimendo nume-
rum, qualitate, ac pretium Armento-
rum, Pecudum, & aliorum quorumcumque;
animalium, quæ in ipsis Granciis respecti-
ve habentur: Libri vero, & descriptiones
hujusmodi singulis annis a Superioribus Lo-
corum ante visitationem a PP. vero Visita-
toribus in ipso actu visitationis sedulo re-
videantur.

*Agrotum.

Qui Patres Visitatores, nedum Abbates,
& Superiores locorum, sed Monachos quo-
que, & Commissarios in Granciis pro* Ani-
marum cultura degentes interrogando ex-
plorent, ac pro captu personarum disqui-
rant, quis ejus Monasterii Status Econo-
micus, & quæ administrandi ratio, fides,
ac diligentia, & præsertim, an Procurato-
riæ Generali satisfactum sit: Ac si quando
comperiant eidem Procuratoriæ, Cellerari-
orum præsertim culpa, aut inhabilitate,
satis consultum non esse, debeant ipsi Visi-
tatores in actu visitationis, assignata prius
congrua portione pro victu, & vestiario
Abbatis, Monachorum Commissarium,

specialiter designare, atque obligare fru-
ctus unius, aut plurium Granciarum ad ef-
fectum debitas ratas Procuratoriæ Gen.
solvendi, itaut loci Cellerarius sub pena
suspensionis ab officio ipso facto incurren-
de super antedictos obligatos fructus manus
apponere nequeat, sed iidem PP. Visitato-
res, conscio atque consulto Abbate ejus
Monasterii particularem Monachum pro-
bitate, atque habilitate probatum deputent,
qui præfatos fructus procuret, ac vendat, &
pretio eidem Procuratoriæ Gen. satisfaciat.

Decretum san. mem. Innoc. X. circa ra-
tiones administrat. per Cellerarios reddenda
sub die 13. Julii 1654. editum, & a
S. D. N. per literas in forma Brevis sub
die 7. Sept. 1655. confirmatum inviolate
servetur.

In ædibus Granciarum simplex, ac præ-
cise necessaria dumtaxat supellex detinea-
tur, & in ipsis agris excolendis fructuose
tantum cultura ratio habeatur.

Nihil in Viridariis, aliisque hujusmodi
amoenitatibus, atque deliciis pecunie, vel
operis impendendo.

Sedulo etiam animadvertant Superiores
ne Monachi, vel alii Grancias administran-
tes hospitiis, aut recreationis titulo amicos,
aut propinquos seculares, aut Religiosos
excipiendo, Monasterii redditus infumant.

Contraveni-
tium poene.

Contra prædicta vero committentes, vel
omittentes poena privationis vocis activæ,
& passivæ, aliaque ad arbitrium S. Congr.
pro modo, ac qualitate culpæ puniantur.

Is tantum numerus Famulorum secula-
rium in Monasterio retineatur, qui præci-
se necessarius sit, & ubi per Religiosos lai-
cos, Commisso servitium præstari potest,
famuli seculares nullatenus adhibeantur.

Unicus Deputatus famulus singulis Ab-
batibus sufficiat, & Abbates ipsi una cum
cæteris Monachis in Refectorio comedant,
nec privatam mensam in cubiculo, nisi
causa infirmitatis, vel alienus hospitis ex-
cipiendi gratia habeant, idque raro, & ob
necessariam causam tantum: quod multo
magis a Titularibus Abbatibus observan-
dum erit, qui famulum etiam sibi assigna-
tum ita necessario tantum detineant occu-
patum servitio, ut aliis quoque Monasterii
servitiis vacare possit.

Pro Vestiario Abbates deplum dumtaxat
ejus, quod reliquis præstatur Mona-
chis, obtineant.

Abbates vero Titulares, qui alias Mo-
nasterii regimen nunquam obtinuerunt,
sed ex privilegio Abbates dicuntur, idem
penitus quod Monachi ipsi, non obstante,
quocumque usu, aut consuetudine, sive in-
dulto usque in præsentem diem servato
habeant.

Itidem quicumque; titulares Abbates nul-
latenus a jurisdictione Abbatis loci, sive
eo absente, ejus Superioris, qui Monaste-
rio præerit, exempti esse intelligantur, re-
servatis alioquin eorum honorariis, præ-
minentis, ac solitis prærogativis cætero-
quin per hæc Decreta, vel aliter abrogatis.

In Monasteriis ære alieno gravatis, ex-
cepto

cepto aliquo in Dieta ob aliquam necessa-
riam causam declarando, rheda minime
habeatur, sed is tantum numerus equorum,
qui ad rem rusticam procurandam omnino
necessarius sit.

Abbates, & reliqui Superiores quorum-
vis Monasteriorum non nisi necessariam ob
causam, officium suum concernentem ite-
nerent. Et quatenus aliquo proprio respec-
tu id agant, Monasterii sumptibus non fiat,
quod ab inferioribus quoque Ministris, ac
cæteris omnibus Monachis observetur, qui
(& præsertim ætate juniores) ad Mona-
stera longe distantia, non nisi prævia ma-
tura consideratione transferantur.

Circa hospitalitatem erga personas ex-
traneas exercendam Decr. per eamd. Sac.
Congr. sub die 18. Jan. 1661. editum, & a
SS. D. N. approbatum omnino servetur.

Hospites vero Monachi, etiam Abbates
diu tanquam advenæ magis delicato, ac
dispensioso victu non tractentur, sed post
diem unum ab eorum adventu, illis in Re-
fectorio communis mensa paretur; in qua
tamen isdem aliquod parvum edulium,
fraterna charitate præ aliis exhiberi pote-
rit: Secularium vero prandia, cœnas, &
alias comestiones, recreationis titulo
nuncupatas, dare omnino prohibitum sit.

Monachis, necnon Abbatibus ipsis an-
nuos redditus, aut alia quæcumque bona
mobilia, & immobilia, licet mediantibus
eorum personis Monasterio acquisita, ne-
dum possidere, sed etiam administrare, vel
titulo ususfructus, depositi custodiæ, aut
alio quolibet detinere sub poena privatio-
nis vocis activæ, & passivæ omnino inter-
dictum sit, sed ea omnia statim Superiori
cum cæteris Monasterii bonis incorporan-
da, & per Officiales publicos administran-
da tradantur.

Neque circa hoc consuetudo ulla etiam
immemorabilis, aut conniventia, vel ex-
pressa licentia Superioris suffragetur, qui
tamen Religiosos necessitatibus eorum con-
sultare non pretermittet, quorum respectu
anted. bona Monasterio acquisita fuerunt.

Si quando vero contingat, ut aliter per
pios Testatores, vel alios circa prædicta
disponantur, ad Sedem Apost. habeatur re-
kursus, non obstantibus quibuscumque in
contrarium facientibus. F. Cardinalis Pau-
luti Præfectus.

Oratorem a
gratuitis absol-
vit.

§.2. Cum autem firmiora sint illa, quæ
Sedis Apostol. præsidio, & munimine ro-
borantur. Hinc est, quod Nos præmissio-
rum omnium, & singulorum firmitati, &
inviolabili observationi providere cupien-
tes, ac dilectum filium Procur. Gen. dictæ
Congr. Cassinen. specialibus favoribus, &
gratis prosequi volentes, & a quibusvis ex-
communicationis &c. harum serie absol-
ventes, & absolutum fore censentes; sup-
plicationibus ejus nomine Nobis super hoc
humiliter porrectis inclinati.

Confirmatio
Decreti.

§.3. Decretum præinsertum, ac om-
nia, & singula in eo contenta, auctor. Apo-
stol. tenore præsentium confirmamus, &
approbamus, illique inviolabilis apostolicæ
Bull. Rom. Ten. V. L. Par. V.

firmitatis robur adicimus, ac omnes, &
singulos juris, & facti defectus, si qui de-
super quomodolibet intervenerint, supple-
mus. Decernentes easdem præsentibus liti-
ras, necnon Decretum præinsertum, & in
illo contenta hujusmodi semper firma & c.
sicque in præmissis per quoscumque Judi-
ces &c. definiri debere, ac irritum, & ina-
ne, si secus &c. contigerit attentari.

Clausulas ap-
ponit.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Con-
stitut. & Ordinat. Apostol., necnon qua-
tenus opus sit, d. Congr. Cassinen., ejusque;
Monasteriorum quorumvis &c. roboratis
statutis, & consuetudinibus, privilegiis
quoque; indultis, & Literis Apostolicis, ei-
demque Congr. Cassineni, ejusque; Monaste-
riis, ac illorum Superioribus, & Monachis,
aliisque personis quibuslibet sub quibuscum-
que verborum tenoribus &c. irritantibusque,
& aliis Decretis in genere, vel in specie,
ac alias in contrarium quomodolibet con-
cessis, approbatis, & innovatis. Quibus
omnibus, & singulis, etiam si pro illorum
sufficienti derogatione de illis, eorumque
totis tenoribus specialis &c. non autem per
clausulas gen. idem importantes mentio,
seu quævis alia expressio habenda &c. illo-
rum tenores, formas, & occasiones, præ-
sentibus &c. specialiter, & expresse dero-
gamus, cæterisque contrariis quibuscumque;

Contraria
tollit.

§.5. Volumus autem, ut earumdem
præsentium literarum transumptis, etiam
impressis, manu &c. eadem prorsus fides
in judicio, & extra adhibeatur, quæ præ-
sentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibi-
tæ, vel ostensæ.

Transumptio-
rum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem
sub Annulo Piscatoris die 11. Aprilis 1660.
Pontificatus nostri Anno VI.

Dat. die 11.
Apr. 1660.
An. VI.

CCXCIII.

Dat modum faciendi provisiones, & ele-
ctiones in Capitulis Generalibus, & dietis
Congregationis Cassinensis Ordinis
Sancti Benedicti.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

AD Apostolicæ dignitatis apicem, me-
ritis licet imparibus, divina disposi-
tione evecti, in eam præcipue curam solici-
tius studiis intendimus; ut Religiosorum
virorum sub suavi vitæ Monasticæ jugo Al-
tissimi obsequiis addictorum Congr. salu-
briter dirigantur, laudabilibusque institu-
tis suis inhærentes feliciter in dies, benedi-
cente Domino, proficiant incrementis.

Exordium.

§.1. Itaque, ut provisiones, & electio-
nes in Cap. gen., & Dietis Congr. Cassi-
nen. Ord. S. Benedicti de cætero faciendæ
ad Omnipotentis Dei gloriam, disteq; Cong-
reg. utilitatem fiant, quantum Nobis ex
alto conceditur, providere cupientes: Mo-
tu proprio, ac ex certa scientia, & matura
deliberatione nostris, deque apost. potesta-
tis plenitudine, ut in omnibus illis, quæ
tam in proximo, quod mense Majo proximo
venturo celebrabitur, & cæteris Cap.
gen.

Confirmatio-
nes Congreg.
Cassinen., &
Decreta Sed.
Apost. servari
mandat.

gen. per dilectos filios Praesidentem, & Definitores, quam in subsequentibus Dietis d. Congr. Cassinen., quandocumque celebrandis per eund. Praesidentem, & Visitatores ejusd. Congr. pro tempore existentes respective fieri debent, Constit. ipsius Congr. Cassinen., necnon Apost. in simili forma Brevis literae, ac Decreta eadem Congr. concernentia per Sedem Apostol. approbata exacte observentur, nec ullae dispensationes per Capitula, seu Dietas hujusmodi, vel praedd. Praesidentem, & Definitores, ac Visitatores de cetero concedi ullatenus possint, sed illae dumtaxat dispensationes, quae a Nobis, seu auctoritate nostra concessae sunt hactenus, & in futurum tam a Nobis, quam a Successoribus nostris Rom. Pont., seu nostra, vel illorum auctoritate concedentur, robor, & effectum obtineant.

Decreta Pat.
li V. & Inno. X.
confirmat.

§.2. Praeterea ut numerus Decanorum praed. Congr. a fel. rec. Paulo PP. V. Praedec. nostro per suas die 21. Martii 1608. in forma Brevis expeditas literas praescriptus, ut scilicet unus tantum sit Decanus pro Monachis expressae professionis ejusdem Congreg. exacte pariter observetur. Promovendi autem ad Decanatum omnia per praefatas Constitut., ac Decretum a re: me: Innoc. Papa X. Praedec. pariter nostro die 7. Nov. 1645. confirmatum requisita habere debeant, nec ulla Decanorum hujusmodi electio cum clausula: *si Rom. Pont. placuerit*, fieri de cetero possit, tenore praesentium perpetuo statuimus, & ordinamus: firmo remanente Decr. particularis Congreg. Ven. FF. nostrorum S. R. E. Cardinalium per nos deputatae super administratione Monast. Cassinen. restauranda, per nostras in simili forma Brevis lit. confirmato.

Decretum le-
gisur.

§.3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas &c. sicque, & non aliter in praemissis per quoscumq. Judices &c. judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis
derogat.

§.4. Non obstantibus pia mem. Clem. Papae VIII. etiam Praedec. nostri in forma Brevis literis die 6. Martii 1593. emanatis, per quas Definitorio d. Congr. Cassinenis super defectu temporis ad Abbatis dignitatem, ac ad Prioratum respective requisiti, omnibus votis suffragantibus dispensandi facultas concessa fuit, aliisque Constit., & Ordinat. Congreg. &c. statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis d. Congr., ejusq. Cap. gen., Dietae, Definitorio, ac Superioribus, & Monachis quibuslibet, sub quibuscumq. verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus &c. quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumq;

§.5. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis etiam impressis, manu &c. eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Aprilis 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

Transumptis
credi mandat.

Dat. die 11.
Apr. 1660.
An. VI.

CCXCIV.

Confirmatio Facultatis Congr. Doctrinae Christianae in Gallia dum unita erat Cong. de Somascha a Gregorio XV. concessae docendi in Scholis publicis, cum indulto, ut ipsa Congr. Doctrinae Christianae, licet a d. Congr. de Somascha separata sit, nihilominus una cum exercitiis sui principalis instituti, Sacras Scientias, humanioresque literas in Accademis, & Collegiis publicis, in quibus ad praesens stabilita est, & in futurum stabilietur, sicut prius docere possit.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

AD Pastoralis dignitatis fastigium divina dispositione evecti Cong. virorum in Ecclesia Dei pie, salubriterque institutus, quo Christiani fideliis utilitati fructuosius operam dare valeant, favoribus, & gratiis, libenter prosequimur opportunis.

Proemium.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Avias Presbyter, & Proc. Congr. secularis Cler. Doct. Christi in Gallia, quod alias eadem Congr. quo exercitia sua, & institutum docendi Doctrinam Christianam, cui plurimo cum animarum fructu indefessiter incumbit, fusius dilatare, diversisque Provinciis, Civitatibus, & Urbibus, ac vicinis earum locis campestribus communicare facilius posset, curam Collegiorum, in quibus tam sacras scientias, quam humaniores literas in scholis publicis docere, suscipere cogitavit, hujusque rei nempe in scholis publicis docendi facultatem eo tempore, quo Congr. Cleric. Regul. de Somascha nuncupat. unita erat, a fel. rec. Greg. PP. XV. Praed. nostro concedi sibi obtinuit. Unde vocati fuerunt d. Congr. Doct. Christianae Oporarii in multa diversarum Provinciarum loca, in quibus eadem Congr., servando semper primarium institutum docendi Doct. Christi. etiam juvenes docet sacras scientias, & humaniores literas; Sicque perseveravit ipsa Congr. toto illo tempore, quo unita fuit cum praed. Cong. de Somascha, & nunc quoque ab eadem separata in eisdem exercitiis perseverat, ac curam Collegiorum, ad quorum administrationem saepe a Magistratibus locorum vocatur, de novo suscipit: attento quod quamvis, rec. mem. Innoc. Papa X. etiam Praed. noster per suas in simili forma Brevis Literas die 30. Julii 1647. super separatione Congreg. praefatarum emanatas re-

Supplicatio

Supplicatio

Oratoris sup-
plicationibus
adhaeret.

Clausulas ap-
posit.

Derogatio
contrariorum

Transumptis
credi mandat.

Dat. die 19.
Apr. 1660.
An. VI.

Motiva.

postuerat Congr. Doct. Christi. in suum pristinum statum, non tamen revocavit facultatem eidem Congr. a praefato Greg. Praedec. concessam tempore unionis.

§.1. Cum autem, sicut eadem Expositio subjungebat, nonnulli scrupuli, & dubia oriri possint, an ejusdem Innoc. Praed. mens fuerit reponendo Congr. Doct. Christi. in pristinum statum, ut facultas docendi in scholis publicis eidem Congr. a memorato Greg. Praed. sicut praemittitur, concessa ipsi Congreg. post dissolutionem unionem hujusmodi suffragari deberet, Nobis propterea d. Franciscus humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra, indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

§.2. Nos igitur ipsum Franciscum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicat. &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, facultatem docendi sacras scientias, humanioresque literas praefatae Congr. Doct. Christi. a Greg. Praed. sicut praemittitur concessam, auctoritate apost. tenore praesentium approbamus, & confirmamus; Utque ipsa Congr. Doct. Christi. licet a memorata Congr. de Somascha separata, ut praefertur, nihilominus una cum exercitiis sui principalis instituti, sacras scientias, humanioresque literas hujusmodi in Accademis, & Collegiis publicis, in quibus ad praesens stabilita est, & in futurum stabilietur, sicut prius docere libere, & licite possit, & valeat, auctoritate, & tenore praedictis concedimus, & indulgemus.

§.3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas &c. Sicque in praemissis per quoscumque Judices &c. definiri definiri debere, ac irritum, & inane, si secus &c. contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus praemissis, ac Constitut., & Ordinat. Apost. necnon quibusvis &c. in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus &c. specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis manu &c. eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Apr. 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCXCV.

Pro bono regimine Congr. Clericorum Pauperum Matris Dei scholarum Piarum
ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut accepimus in Congr. Regulari Cler. Paup. Matris Dei Schol. Piar.

plures exorta sint controversiae: Nos illas dirimere, & bonum ipsius Cong. quantum in Domino possumus promovere cupientes.

§.1. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apost. potestatis plenitudine statuimus, & decernimus tenore praesentium, ut Praepositus Gen. memoratae Congr., & quatuor Assistentes, tam in ultimo Cap. gen. electi; quam deinceps in perpetuum eligendi durare debeant ad sexennium tantum: ipsique Assistentes votum habeant decisivum cum eod. Praeposito Gen. in electionibus, deputationibus, ac mutationibus quorumcumq. Superiorum. Item in causis, & sententiis criminalibus, necnon in quibuscumque aliis actibus, qui ex Constitut. ejusd. Congreg., vel decretis Cap. gen. fieri, seu expediri debent a Praeposito Gen., & Assistentibus. In reliquis vero iid. Assistentes votum habeant consultivum, & Praepositus Gen. quoad eum fieri poterit eorum consilium sequatur ad praescriptum Constit. ipsius Congr., & una omnes cum Praep. Gen. resideant in domo S. Pantaleonis de Urbe.

Generalem, &
Assistentes ad
sexennium du-
rare mandat.

Assistentibus
in causis cri-
minalibus de-
finitivum, in
reliquis vero
consultivum
votum conce-
ditur.

Institutum
hujus Congre-
servari vult.

§.2. Praeterea inviolate servari praecipimus laudabile d. Congr. institutum, praecipue in usu associandi pauperes pueros ad eorum domos: deferendi habitum qualitatis, & formae praedd. Constit. praescriptae: Incedendi pedibus discalceatis, recipiendi ad Scholas pueros aptos ad prima elementa, adhibendi lectulos ad formam Constit. denominandi personas ejusd. Congr. non ex cognomine gentilitio, sed ex nomine alicujus Sancti: ac demum servandi etiam in itinere paupertatem, quam operarii hujus instituti profitentur.

§.3. In ceteris vero servari jubemus antiquas Constit. Congr. hujusmodi cum omnibus gratiis, indultis, & privilegiis a Sede Apost. eid. concessis; in iis tamen quae aptantur, & congruunt statui Congreg. & praesentibus lit. non adversantur.

§.4. Decernentes easd. praesentes lit. semper firmas, &c. sicque in praemissis per quoscumque Judices &c. definiri debere, ac irritum, & inane si secus &c. contigerit attentari.

Clausula.

§.5. Non obstantibus praemissis, ac Constitut., & Ordinat. Apost., necnon quatenus opus sit, praed. Congr., & aliis quibusvis &c. privilegiis, quoque indultis, & lit. Apost. in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio
contrariorum

§.6. Volumus autem, ut praesentium transumptis manu &c. ead. prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensa.

Transumptio-
rum fides.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Dioec. sub Annulo Piscatoris, die 28. Aprilis 1660. Pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 28.
Apr. 1660.
An. VI.

Con-